

Constitutio, in qua regularium privilegia, quoad praedicationem verbi Dei et Sacramenti Poenitentiae administracionem, declarantur.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus servorum Dei,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

"Supernâ magni patris familias praeordinatione...."

§ I. Sane, cum Sacri Concilii Tridentini decretis provide statutum fuerit ut regulares cujuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vitâ, moribus et scientiâ examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentiâ, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare non possint; cum qua licentiâ personaliter se coram episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipient; in ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam episcopi licentiam, gratis ab eo dam, habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum Ordinum, nullo modo praedicare possint; atque ut nullus saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, contradicente episcopo praedicare praesumat; itidemque, cum nullus sacerdos regularis possit confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale beneficium

obtineat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliâs idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque non obstantibus: innotuit nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen et approbationem ejusmodi in aliquibus dioecesibus excitatas fuisse; ex quibus controversiae et dissensiones permultae in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quae per Sedem Apostolicam religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

§ II. Nos, attentes quod aliâs diversis temporibus praedictae dubitationes et controversiae nonnullis praedecessorum nostrorum Summorum Pontificum constitutionibus earumque declarationibus definitae fuerint, ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis magisque dissensionum tollantur semina, et in posterum firmior in agro dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, apostolatus officio, novis apostolicis litteris muniendas duximus et roborandas. Itaque de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, pietate, doctrinâ et prudentiâ praestantium, et matura deliberatione nostrâ, atque ex certa scientiâ, hâc generali et perpetuo valitûrâ constitutione decernimus et declaramus:

§ III. Regulares, qui in ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, teneri ab episcopo diocesano benedictionem petere; praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si episcopus benedictionem nedum non concederet, sed etiam contradixerit, nec in

praedictis quidem ecclesiis licere regularibus praedicare, eosque contravenientes ab illo tamquam Sedis Apostolicae delegato censuris aliisque poenis ecclesiasticis in vim constitutionis felicis recordationis Gregorii XV praedecessoris nostri, incipientis "Inscrutabili Dei prvidentiâ," coerceri et puniri posse. Episcopum tamen absque justâ et rationabili causâ contradicere non debebet, et hujusmodi benedictionem teneri etiam regulares petere, si in quibuscumque oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo vel in ecclesiis aut ad crates monasteriorum sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem episcopum, licentiam concessurum regularibus in ecclesiis quae suorum Ordinum non sunt praedicare voluntibus, illos, quamvis ab universitatibus aut a magistratibus laicis nominatos, etiamsi episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit, et licentiam praedicandi, semel iisdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen episcopum generatim prohibere regularibus, quin in ecclesiis suorum Ordinum praedicent.

§ IV. Ad haec religiosos, ab episcopo ad confessio-nes saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia dioecesi eas absque episcopi dioecesi-*s* approbatione audire, quamvis poenitentes subdit*s* ejus episcopi a quo ipsi religiosi jam fuerant ap-

probati. Et generaliter approbatos ab episcopo ad personarum saecularium confessiones audiendas nequam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, sed egere, quoad hoc, speciali episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii. Itidemque confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire; sed toties ab episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Caeterum in monasteriis, ac etiam collegiis ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam prelatos regulares quam confessores regularium eorumdem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab episcopis generaliter quoque et indistincte absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in dioecesi propria admittendos; quoad caeteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere; semel autem simpliciter approbatos posse in dioecesi episcopi approbantis quovis anni tem-pore, etiam paschali, et quorumcumque etiam infirmo-

rum confessiones audire absque ulla parochorum vel ipsius episcopi licentiâ; de qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorumdem infirmorum parochum illico certiorem reddere. **E**t hoc posse illis ab episcopo, sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones, praecipi: sufficere tamen ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

§ V. Et eos, qui dictis religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quae incipit "Omnis utriusque sexus," quoad confessionem duntaxat, satisfecisse censendos. Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet episcopo (secus autem si ab ejus vicario aut ab antecessoribus episcopis) approbatos non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab ejusdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illi concessas revocari, nisi nova superveniente causa quae ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet; nec eam teneri episcopum ipsis regularibus significare; sed Sedi Apostolicae duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

§ VI. Porro si regulares cum scandalo aut aliâs in honeste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili episcopi iudicio videantur a confessi- nibus suspendendi, in quo ipsius episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum praecipua ministri Sacra- menti Poenitentiae qualitas sit vitae integritas ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis mi-

nisterium pertinere, ac proinde nihil obstare quominus ob eam possit episcopus regulares a semetipso approbatos suspendere aut repellere a confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab episcopo inconsultâ Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus, per "mare magnum" aliave privilegia regularibus cujuscumque Ordinis, instituti aut societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas regulares a Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio aut deinde Apostolicis etiam decretis sublata atque extincta, si quae habebant, absolvendi a casibus episcopo reservatis.

§ VII. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo a casibus episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem regularem confessorem in eâ dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsâ reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eodem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtainendâ migrare. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere regularibus, etiam satisfactâ parte, absolvere poenitentes a censuris quoad externum et judiciale forum, et absolutos ab eis in foro poenitentiali ubique non censeri absolutos in exteriori iudicio et contentioso. Quinimo censuris ecclesiasticis

irretitos et denuntiatis ab episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi a regularibus fuerint absoluti. Quoties, exhibitis aliquibus regularium apostolicis privilegiis coram episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint et ambigua, non esse ad metropolitani provocandum, sed, cum ejus sit interpretari, cuius est condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicae judicio, prout aliàs constitutione praedecessoris nostri felicis recordationis Clementis IV statutum fuit, esse requirendam.

§ VIII. Decernentes sic et non aliàs per quoscumque judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate et dignitate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et nuncios, et quosvis alios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quocquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ IX. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque quorumvis Ordinum..... Congregationum, Societatum.....

Dat. Romae, apud S. Mariam Majorem, an. Dom. 1670 die 21 Junii.

Declaratur facultas eligendi confessarium ab Ordinario approbatum in Bulla Cruciatæ concessa, cum damnatione opinionis contrariae.

INNOCENTIUS PAPA XII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§ I. Cum, sicut non sine gravi animi nostri dolore ex nonnullorum venerabilium fratrum episcoporum regni Portugalliae et aliorum timoratae conscientiae virorum delatis ad nos querelis accepimus, in regno praefato revixerit ac in dies magis invalescat opinio, per quasdam felicis recordationis Pauli V, Urbani VIII et Clemens X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, necnon plura Congregationum tunc existentium S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum ac respective negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum decreta, dum damnata ac reprobata, quâ innixi plerique illarum partium privilegia et indulta per litteras apostolicas pro cruciatâ sanctâ emanata, seu, ut vocant, "Bullam Cruciatæ," ita intelligenda esse existimant, ut facultas in litteris seu Bullâ hujusmodi christifidelibus attributa confitendi peccata sua cuilibet confessario per quemcumque Ordinarium ad confessiones audiendas approbato, locum habeat et habere censeatur, etiamsi is non fuerit Ordinarius loci in quo confessiones praefatas excipi contigerit:

Hinc est quod nos, ex debito pastoralis officii, quod humilitati nostrae meritis licet et viribus longe impari commisit divina dignatio, animarum periculis in re tanti momenti, qualis est sacramentalis confessio, quantum nobis ex alto conceditur paterna charitate occurrere cipientes, necnon constitutionibus et decretis supradictis inhaerentes, de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium, primum quidem supradictis negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, subinde vero etiam aliorum in tota republica christiana contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, qui opinionem praefatam ex integro examinarunt remque totam mature discusserunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium decernimus et declaramus, *Bullam Crucifatae sanctae nihil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere quoad approbationem confessariorum contra formam ejusdem Concilii Tridentini et praedictarum constitutionum apostolicarum, adeo ut confessarii tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, in vim dictae Bullae Crucifatae a poenitentibus ad audiendas eorum sacramentales confessiones electi, nullatenus confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii et episcopi dioecesani loci, in quo ipsi poenitentes degunt et confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt, nec ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis ordinariis aliorum locorum et dioecesum obtentum.*

tam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui confessarios electos approbassent, subditi forent; confessiones autem aliter et contra earumdem praesentium aliarumque apostolicarum constitutionum formam deinceps faciendas et excipiendas respective, praeterquam in casu necessitatis in mortis articulo, nullas fore, irritas et invalidas, et confessarios ipso jure suspensos esse, et etiam rigide puniendos ab ipsis Ordinariis locorum.

Porro quamcumque contrariam opinionem tamquam falsam, temerariam, scandalosam et in praxi perniciosa, praetenso quovis contrario usu contrariâque consuetudine, etiam antiquissimâ, minime obstantibus, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie, damnamus et reprobamus, contrariumque usum ac contrariam consuetudinem hujusmodi penitus et omnino abrogamus et abolemus. Ac proinde omnibus et singulis christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis et dignitatis existant, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, ne supradictam opinionem docere, tueri, aut ad proxim deducere quovis modo audeant seu praesumant, sub poena excommunicationis per contra facientes ipso facto absque alia declaratione incurnda, a qua nemo a quoquam praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo, hujusmodi constitutus absolutionis beneficium obtinere valeat, interdicimus et prohibemus.

§ II. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet

praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeminentiae et dignitatis existant, seu alias specificâ et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, auditii, et causae, propter quas praesentès emanarint, sufficienter adductae, verificatae et justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridicâ, piâ et privilegiata causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesio-
nis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obre-
ptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel
interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam
quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inex-
cogitabili, individuamque expressionem requirente de-
fectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controver-
siam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus
illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve
quocumque juris, facti vel gratiae remedium intentari
vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia
et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato,
quempiam in judicio vel extra illud uti seu se juvare
ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper
firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque ple-
narios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis,
ad quos spectat et pro tempore quandcumque spec-
tabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et
non aliter in praemissis per quoscumque judices ordi-
narios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici
audidores, ac dictae S. R. E. cardinales, etiam de late-
re legatos et Sedis Apostolicae nuncios, ac memoratae

Cruciatae sanctae commissarios, aliosve quoslibet, quâ-
cumque praeminentiâ et potestate fungentes et func-
turos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter judi-
candi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari
et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super
his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoran-
ter, contigerit attentari.

§ III. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et
in universalibus, provincialibusque et synodalibus con-
ciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus
et ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, Con-
gregacionum, Societatum..... institutorum.....

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, an.
Dom. 1700 die 19 aprilis.

Aunque no será materia del Sínodo la siguiente Bula, sin embargo, por razon de su alta importancia el Illmo. Sr. Arzobispo dispuso que se agregara.

Indulgentiae tam docentibus et addiscentibus methodum orationis mentalis, quam ipsam orationem mentalem peragentibus concessae.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus.....

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolieam benedictionem.

Quemadmodum nihil est hominibus a familiari Dei consortio, et consuetudine avulsi, et ejectis, ad divinos hauriendo fulgores, ad aeternam salutem procurandam et ad Deum quasi manu facta coeundum, magis opportunum, salutare, ac necessarium Oratione, quae est veluti ascensio animae de terrestribus ad coelestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium, conjunctio Spiritui Sancto et ad Deum locutio; ita, ne desolatione desoletur universa terra ex eo, quod nullus recognitet corde, omnes et singuli ubique, et semper salutaribus praecepsis monendi sunt, quod oporteat semper orare et nunquam deficere; ut in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescientibus apud Deum, ipse qui dives est in omnes eum invocantes, nec nostras abs se deprecationes, nec suas a nobis amoveat miserations.—Ea propter praedecessores nostri R. Pontifices divina institutione formati, ut christifideles ad orationis, sive vocalis, sive mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum et sine intermissione frequentandum incitarent,

eosdem tum cohortationibus inflamare, tum coelestium etiam munerum thesauris, quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus, allucere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones et de injunctis eis quomodolibet debitibus poenitentiis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditarentur.

Nos autem laudatissimis eorumdem praedecessorum nostrorum exemplis incensi, non solum omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes per eosdem nostros praedecessores pro recitantibus quascumque vocales preces (dummodo nunquam revocatae fuerint) aut quomodolibet orantibus, quocumque modo sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, sub iisdem prorsus modo ac forma confirmamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus; verum etiam alias insuper iis praesertim, qui mentalis orationis, seu meditationis studio operam dederint, ut infra, impertimur.

Primum itaque omnibus et singulis, sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi, et ubicumque locorum publice, et private quoscumque homines orandi, seu meditandi rudes quomodocumque orare et meditari docuerint, sive qui piae orandi et meditandi institutioni hujusmodi, ut praemittitur, interfuerint, dummodo vere poenitentes ac Sacra communione refecti, qua vice id egerint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitibus poenitentiis in forma Eccle-

siae consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue praemissa peregerint, ac similiter vere poenitentes, ac Sacra communione refecti, pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint; semel in mense pro uniuscunque commodo et arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae singulis diebus, et per totum mensem, orationi mentali dabunt operam, et vere poenitentes et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam itidem per modum sufragii animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate et tenore similibus misericorditer in Domino elargimur..... Praesentibus perpetuis futuris temporibus valiturs.

Dat. Romae die 16 Decembris an. 1746.

NOTA.—La Bula "Apostolicae Sedis" de Nuestro Santísimo Padre el Sr. Pio IX se ha omitido, porque circulan de ella dos ediciones mexicanas.

FÉ DE ERRATAS.

PÁGINA.	LÍNEA.	DICE.	LÉASE.
1	13	qnam	quam
6	21	facultatem	facultatum
10	5	noverit	noverint
18	24	voluimus	volumus
19	13	omnibus	cum omnibus
19	25	interditum	interdictum
20	17	fore reipsa	fore se reipsa
20	28	distinete	districte
21	1	timeatur	timetur
21	19	incurrat	incurret
21	26	publici et	publici subscriptis, et
22	6	complicum	complicum
23	1	omnes	omne
23	6	animarum	animortum
42	11	eonsortio	consortio

9 Se puso equivocadamente "§ V."

Se notará desde luego que se han omitido algunos párrafos; la razón es, porque para el caso presente han parecido no necesarios: v. g. algunos relativos exclusivamente al Santo Oficio, otros de fórmula, como alguno que otro exordio, etc.

SIT OPUS

A. M. D. G.

004690